



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

55. Secunda Epistola D. Cerle ad S. D. N. Innocentium PP.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima Januarij 1681. Pontificatus Nostri anno quinto.

Marius Spinula:

## Documentum LV.

Epistola R. P. Cerle ad Sanctissimum Pontificem  
INNOCENTIUM PP. XI.

Sanctissimo Domino Nostro INNOCENTIO XI.  
Pontifici Maximo.

BEATISSIME PATER,

Post humillima Pedum Oscula.

**A** Cceptis flexis genibus, pronôque in terram vultu, Sanctitatis Vestræ litteris ad meam tenuitatem die primâ Januarij datis, dixi cum Paulo: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Quæ enim tanta est, Beatissime Pater, tamque acerba tribulatio, quam non delinias vel sola tanti tamque mirabilis Pontificis de nobis recordatio? qui se tum in universos fideles, tum peculiariter in nos, quantumvis immeritos, Christi Vicarium exhibet, non solum in plenitudine potestatis, verum etiam in plenitudine charitatis? Quæ tanta est præ malorum pondere, animi abjectio, quam non erigant invictum illud animi robur, quod in Sanctitate Vestra pro tuenda Ecclesiæ libertate pij omnes hujus Sanctæ Matris Filij demirantur, illaque sedium ipsius assitrix sapientia, cujus ope atque lumine inter calumniarum tenebras, & mendaciorum caliginem, veritatem atque justitiam tam perspicaciter interoscit?

D d d

Sunt

Sunt equidem, Beatissime Pater, etiam in Gallia non pauci Sacerdotes, Monachi, Senatores, omniumque ordinum homines, qui etiamsi aliter palam loquantur, etiamsi opem nullam ferant, etiamsi metu potestatum infensos sese simulent, nobiscum tamen sentiunt, & ubi fidos arbitros nacti fuerint, quantum nobis condoleant, dissimulare non possunt. Hæc animorum circa causæ justitiæ consensus non parum affert consolationis, sed nisi Sanctitatis Vestræ frequentes consolationes, & quod jam experti sumus, multoque magis quod adhuc speramus, efficax auxilium, confirmarent, fortasse quos calamitatum acerbitas nondum dejecit, diurnitas tandem opprimeret: adeo enim non minuitur incendium, quo jam pridem flagrant Apamiæ, ut majores in dies vires capere videatur, pergentibus nos affligere atque conterere, iisdem qui antea hominibus.

Abuterer, Beatissime Pater, Sanctitatis Vestræ benignitate atque patientiâ, si quæ Illi postremis litteris mala percensui, adhuc commemorarem. Id unum affirmo, tantum abesse, ut quæ his litteris continebantur, veritatem excederent, ut etiam plurima omiſsa fuerint. In his sunt exilium Canonici Ecclesiæ Collegiæ Apamiensis, nomine Mascaras, qui, quod divinis interesse cum Regalisticis excommunicatis constantissimè recusaverit, in urbem Brivam Diocesis Lemovicensis relegatus est: exilium procuratoris Fiscalis Reverendissimi Patris nostri Episcopi Apamiensis in oppidum Daubuffon relegati, eo quod inter concionandum fideles ad fundendas in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus preces fuisset cohortatus: ærumnæ Parochi beati Genesij de Mongaillard, ob publicatam significatamque ordinationem nostram, & Vicarij beatæ Magdalenæ de Saurat,

Saurat, ob solam de affixa Ecclesiæ foribus eadem ordinatione suspicionem, in carcerem detrusorum: pecuniarum summa ab alijs excussa ob dilationem in agnoscendo Vicario Generali à Reverendissimo Metropolitano delegato: Patribus Prædicatoribus Apamiensibus, quòd eidem Vicario parere, & officia divina coram Clericis sub prætextu Regaliæ in beneficia nostra intrusis, ideòque publicè declaratis excommunicatis celebrare recusaverint, erepta schola Philosophiæ cum suis stipendijs, & in Jesuitarum Gymnasium transvecta, additâ insuper pravæ Doctrinæ criminatione. Verùm quæ omnia vix longâ possent enumeratione comprehendi, ex immani superioris Aquitaniæ Præsidis voce conijci poterunt: *Tedet nos, inquit, exilijs tantum atque carceribus insanos istos homines plectere: jam crucibus res agenda est, ut perduelles, qui aliâ ratione domari non poterunt, istâ tollantur.*

Ex illis, quæ postmodum subsècuta sunt, Beatissime Pater, pauca seligam. Vix è manibus emissâ fuerant posteriores nostræ ad Apostolicos Sanctitatis Vestræ pedes litteræ, cum prætor Apamiensis in optimos quòsque Parochiarum Rectores, truculentissimè irruit, propterea solum, quòd putaverant oportere Deo magis obedire, quàm hominibus. Quos quidem capere potuit, ut Parochos sancti Juliani d' Axiat, sancti Petri d' Ornlac, sancti Laurentij de Verniole, sancti Petri de Bonac, tam arcæ custodiæ mancipavit, ut nec Missæ audiendæ, etiam diebus dominicis, nedum celebrandæ facultas concederetur. Aliorum qui fugâ salutem consuluerant, supellectilem, pecunias, frumentum, & quidquid juvandis alendisque Christi pauperibus provida paraverat charitas, invasit. Quo pacto impletum est, nec uno modo, quod dictum est per Isaiam Prophetam:

Ddd 2.

Parvuli

*Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Nam & corpori suus panis, & animæ suus ablati sunt. Expulsis veris Pastoribus substituti sunt lupi, qui non solidum dispensant Evangelij cibum, sed venenatam propinant doctrinam, laxam vivendi rationem non solum concedentes, sed ad eam etiam invitantes. Parochi qui non animarum tantum, sed & corporum etiam necessitatibus paternam providentiâ consulebant, vilioribus cibis dubiam & arumnotam vitam tolerant, solisque interdum lupicinis vescuntur à suis Parochianis emendicatis, nocturneque quaesitis, & in suspiciosissimis temporibus tremulâ manu datis atque acceptis.

Pater Franciscus Rousse, qui solus è fratribus nostris Canonicis, non in civitate (ibi enim ne unus quidem supererat) sed in quadam hujus Diœcesis Parochia hæctenus relictus fuerat, sive quòd adversariorum oculis non ita frequenter esset obvius, sive quòd propter optimam indolis innocentiam parùm ipsorum studijs nociturus crederetur, tandem & ipse post graves minas & convicia, viro Religioso & Sacerdote indignissima, conjectus est in carcerem ubi quæ ad sustentandam vitam necessaria erant, cum nec amici possent, nec inimici curarent suppeditare, appenso ad fenestras sacco, dum hæc ad Sanctitatem Vestram scriberem, emendicare medicabatur. Sic nimirum plectendum erat crimen ipsi objectum, quòd scilicet in quadam ordinatione nostra paucos Typographi errores emendasse incusaretur.

Similem experti sunt ultionem Vicarij Sancti Baudelij de Siguer, & sancti Petri de Mauleon, licet non ipsi, sed Parochi, rei judicarentur; alter quidem quòd Concionatorem à Vicariatus Generalis usurpatore missum admittere recusaret: alter quòd me insectantium iram fugientem hospicio

spicio excepisse falso crederetur. Affliguntur enim, non solum qui Ecclesiae juribus, aut ea defendentibus favent, sed & qui vel minimam circa hoc laborant suspicione.

Non est, Beatissime Pater, habita sexus ratio: exulavit Mater Ania Carmelitarum Virginum e numero prudentum praeposita, cujus precibus, operibus & praesertim uberrimis poenitentiae fructibus, non parum, uti putamus, apud Deum res nostrae juvantur; non alia de causa, quam quod Sanctitatis Vestrae litteris cohibita, non potuerit, nec ipsius alumnae, spretis nobis, Vicario Generali ab Illustrissimo Archiepiscopo Tholosano Apamias missis, obedientiam exhibere.

Male habetur Urbanistarum Sanctae Clarae Virginum conventus constantissime nobis semper adhaerens, quia illarum Priorissa non receptis Sacramentis decessisse creditur, repulsis scilicet Sacerdotibus a praedicto Vicario Generali commissis, eaque offerentibus; quamquam divina sic ordinante providentia non defuerit, qui a nobis legitime approbatus necessaria omnia occulte ac quasi furtim, administraverit.

Eo devenerunt caecitatis tot malorum auctores, ut non a nostris tantum ordinationibus; sed etiam a Sanctitatis Vestrae Censuris tutos se arbitrentur, si litteris illas continentibus aditus omnes praeccludant. Excubant in Civitatis Apamiensis muris, ad ejus portas, & extra in via custodes, qui accedentes quosque excutiant, ne forte aliquis actus minus gratus illuc clanculum inferatur. Si mihi, Beatissime Pater, Ecclesiae hujus jura aliunde non constarent, vel ipse introducenda in eam Regaliae modus suaderet, causam justitiae non niti, quae tam violenti, tamque a

Uia  
 dicata  
 a III  
 230

Christiana charitate, atque à Canonica disciplina alienis vijs, ad finem intentum promoveatur.

Sed si juxta Incarnatæ Veritatis oraculum à fructu arbor certissimè cognoscitur; quo modo potest bona esse, quæ tam malos fructus facit? Qui à nostris nos beneficijs exturbârunt, eorum reditus in ludos, computationesque expendunt. Dominicâ tertiâ in quadragesima, tres ex illis post lautam Cœnam apud unum ex istius Civitatis Magistratibus usque ad tertiam post mediam noctem horam, vigiliam protraxerunt, ut cum fœminis, quibuscum coenerant, operam choreis darent. Qua in re, eò majus creavit eorum licentia scandalum, quòd erat à moribus sub prædicto Episcopo viventium remotissima. Vicarij Generalis ab Illustrissimo Archiepiscopo missi præsentia, licet non per eorum illud tempus, intercessit. Non in laicis tantùm ædibus, sed & in proprio conventu, Religiosis viris indignissima præstant. Domus illa, quam domum orationis dicere non dubitabo, in qua nos Reverendissimus Pater noster Episcopus Apamiensis, nuper in Christo rursus genuerat, foverat, enutrierat, suis verbis, & multò efficacius exemplis ad omne virtutum genus instruxerat; domus illa, inquam, dum Dominus Episcopus extremo morbo laboraret, aut etiam dum gratissimum Deo spiritum redderet, propriæ ipsius sorori, quamvis pietate in tota Gallia celebratæ ac de Diœcesi Apamiensi ob institutam Virginum societatem, ad erudiendas in Christiana disciplina puellas optimè meritæ, non est concessus introitus; domus, inquam, illa, nunc domicilium Regalistarum est, qui non inter se solum, sed aliquando etiam cum mulieribus ibi lautius epulantur. In eo horto, ubi non nisi spiritualia colloquia ferè habebantur, visæ sunt adolescentulæ cum novis istis Canonicis

pro-

prophana colloquia miscentes. Liceat hîc exclamare cum Propheta : *DEUS venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.*

Quàm felix esset Apamiensis Ecclesia, si cum externis hostibus sibi pugnandum esset; si paratæ ab Ethnicis cruces, equulei, rogi, craticulæ, in orbitatem conjicerent. At Ecclesiam cum Ecclesia dimicare, luctuosissimum miserimumque est. Vix dici, vix capi potest, Beatissime Pater, quàm multis ijsque gravissimis vulneribus, Reverendissimus Archiepiscopus Tholosanus Christi sponfam in nostra Diœcesi affecerit, paternas Sanctitatis Vestræ commotiones, imò & litteras ipsas parvi pendens.

Scio, Reverendissimos Episcopos in Comitij Occitaniæ congregatos, ægerrimè tulisse, quòd Præsul ille nefas sibi dixisset. Apostolicas litteras legere, priùsq̃am Regi fuissent exhibitæ. Quod quid aliud est, aiebant, quàm turpissimum cervicibus nostris jugum imponere, quàm sacra inter Patrem & Filios commercia præpedire, quàm æternum afflictorum Episcoporum asylum objecto novo isto obice claudere?

Ea est, Beatissime Pater, Metropolitanî nostri erga Apostolicam Sedem observantia, de qua, ut accepimus, in suis ad Sanctitatem Vestram litteris gloriatur, ut brevissimo intervallo post oblatum sibi Breve, die secundâ Octobris datum, ordinationem ediderit, quam & alias antea editas executioni mandari præcipiebat, non obstante quacùmque appellatione, vel jam emissâ, vel in posterum emittendâ, quæ clausula non nisi ad Sanctam Sedem referri poterat, tum quia Ecclesia Tholosana, aliam à Romana superiorem non agnoscit, tum quia eò tendebat hæc ordinatio, ut  
aliam



aliam à nobis promulgatam abrogaret, quâ interpositæ jam appellationes ad Sanctam Sedem rursus declarabantur.

Infremuit nuper Tholosa, cùm audisset varijs commonitorijs, dicti Illustrissimi Metropolitanæ auctoritate, anathema proclamari ad inquirendum in eos, qui Apostolica de rebus nostris Brevia, aut Gallicè vertissent, aut Typis mandassent, aut populo legenda proposuissent: videlicet crimen est igni & ferro vindicandum, in re tanti momenti, doceri fideles, quodnam sit de tam celebri lite Sanctitatis Vestræ iudicium, & quisquis vel authores, vel fautores novit, ad denuntiandum excommunicationis gladio sit adigendus. Tantâ commotus audaciâ gravissimus Senator ait, fore propediem, ut coram Officiali Tholosano dies summo Pontifici diceretur.

Solet identidem dictus Archiepiscopus Tholosanus, & nos, & defunctum Venerabilem Patrem nostrum Episcopum Apamiensem insanos vocare, quòd pro re tantilla, & ad disciplinam tantùm pertinente, tot adversa perpessi sumus. Verùm quocùmque nomine res ista nuncupetur, malumus cum Gregorio septimo, Gelasio secundo, Anselmo, Thoma Cantuariensi, alijsque sanctis Pontificibus quorum vestigia in hoc stadio premimus: malumus, inquam, (quod pace illius dictum sit) cum istis Ecclesiæ luminibus insanire, quàm cum Tholosano Antistite sapere.

Miror istam sapientiam non perspicere, quod insaniam nostram nunquam latere potuit; videlicet, non disciplinæ splendorem tantùm, sed Regiam Ecclesiæ dignitatem, sed fidem planè hoc in negotio in discrimen vocari. Volunt adversarij, licere Regi decimas, rem sacram, sede vacante, capere. Dignitates aliâque Beneficia pleno jure tribuere; non simplicia modò, verùm etiam ea, quibus animarum cura

era conjuncta est, imò & meras Parochias. Quo pacto, ut de alijs fileam, Archipresbyteratu Aquisi, clarissimo Magistro Dorat erepto, potitur in præsentiarum Regalista Morean. unius ex Patribus Societatis nepos: quem hac de causa excommunicatum ab Illustrissimo Domino Episcopo Apamiensi declaratum, Dominus Archiepiscopus Tholosanus absolvit.

Affulserat, Beatissime Pater, spes aliqua fore, ut ab Illustrissimo Archiepiscopo Tholosano pace frueremur, sparsâ scilicet famâ, ipsum ad Sanctitatem Vestram litteras scripsisse, quibus se imposterum à rebus nostris velle penitus abstinere profiteretur: sed evanuit citissimè, multiplicatis à prædicto præfule Vicariorum Generalium pro nostra Diœcesi nominationibus. Cùm enim primâ à se factâ, & ab ijs ipsis, quos consuluerat, damnatâ, vitium tandem agnovisset, jam quidem revocavit: sed post Senatûs Parisiensis placitum, cui in edicto suo se obsequi protestatur, Illustrissimum Episcopum Leonensem novâ præsumptione Vicarium Generalem creavit; ô summum Sacerdotem de Regali Sacerdotio magnificè sentientem! ô Ecclesiæ bene consulentem! sanctiora sunt illi Parlamenta, quàm Concilia; minûsque Veneranda Sancti Petri Cathedra, quàm profana sæcularium judicum subsellia.

Illustrissimo Episcopo Leonensi, ab hujusmodi Vicarij Generalis munere abhorrente, & ut passim creditur, Sanctitatis Vestræ Censuram pertimescente, Presbyterum quendam domesticum suum, & cruciferum, regendâ huic Ecclesiæ præfecit; iteratis illis nominationibus significans, quam parùm valuissent apud illum Apostolicæ litteræ die secundâ Octobris, tum ad nostrum Capitulum, tum ad illum ipsum data. Obtemperavit crucifer, ab eo longè

E e e

dissemi-

lia  
dicata  
a m  
23

dissimilis, cujus consilio atque increpatione Divus Thomas Cantuariensis erectus firmatusque est, cum nimio pacis amore, nimiâque deliniendi Regis cupiditate penè subversus esset.

Tentavit & ipse, commonitorio, & censurarum interminatione in Diocesi Apamiensi, Sanctitatis Vestrae litterarum interpretes, Typographos, promulgatores, executoresque detegere; conscientiae tamen stimulis exagitatus, aliquanto post Tholosam repetit. Verùm Dominus Archiepiscopus, qui adversus Sanctitatis Vestrae litteras studet impavidus videri, postridiè quàm Archiepiscopalis Palatii valvis affixum fuit Breve Kalendis Januarij datum, praedictum Vicarium Apamias remisit, pristinumque locum resumere coegit: utque contentam in Brevi excommunicationem, in quam inciderat, se parùm reformidare universae plebi suaderet, Sanctissimum Missae Sacrificium publicè, aliâque divina officia solemniter celebravit, à quibus per sex menses abstinuerat.

Non est, Beatissime Pater, tam parùm Christiana Gallia, ut praedictus Dominus Archiepiscopus, Sanctissimae Sedis contemptum posse non improbari arbitretur: quàmobrem tam odiosam à se opinionem amovere nititur, falsitatem litteris à Sanctitate Vestra emissis affingendo, atque ut res verisimilior evadat, affirmando falsitatem non solum à Sanctitate Vestra fuisse detectam, sed & vindictam, ejecto secretario, hujusmodi Brevium fabricatore.

Huic rumori adstipulantur quasidei testes certissimi, aut veriùs authores sunt Patres Societatis Jesu, praesertim Pater Roques. Non alio ferè Consiliario, non alio rerum suarum scriptore utitur Reverendissimus Archiepiscopus Tholosanus. Utinam unius, aut paucorum tantùm & privatorum  
hujus

huius Societatis hominum esset hæc erga Ecclesiam affectio, aut propagandæ Regaliæ studium. Unus eorum nomine Meynier (ut cæteros omittam) eum ex novo Regaliæ jure fructum jam percepit, ut tres suos nepotes, totidem beneficijs, ut ipse putat, auxerit, ut ego existimo, jugulaverit.

Quot Episcopos eo nomine invisos aulae fecerunt, ex ijs præsertim, qui optimè ministerium suum implent, quique Sanctitatem Vestram æmulati, corruptissimam illam de moribus doctrinam è suis Diocæsesibus eliminant?

Quòd nobis à Patribus Societatis Apamiensibus obsequium hucusque denegatum sit, de sententia atque decreto primorum Provinciæ factum est, quos accepimus eam ob causam in unum Tholosæ convenisse: utrum num adversus Dominum, & adversus Christum ejus? quid in eo coetu deliberatum conclusumque fuerit, subsequuta demonstravit contumacia, quæ neque per Sanctitatis Vestrae litteras, poenam excommunicationis latae sententiæ continentis, comprimere potuit. Siquidem etiamnum publicè secularium Confessiones excipere pergunt, & animas Christi sanguine redemptas Diaboli laqueis irreciunt, hoc est absolutionibus, quas Sanctitatem Vestram nullas declarasse non ignorant.

Hæc tanta mala, Pater Sanctissime, quis crederet, non alio de fonte profluere, quam ab eorum de probabilitate doctrina? Narrabant non ita pridem Pater.... & Pater.... non esse quidem indubitatum jus Principis circa Regaliam; esse summo Pontifici rationes suas, & Regi suas; & nihilo minus fas esse Regi, probabilem sententiam sequuto, jus suum tueri; nec debere eum istius controversiæ judicium Sanctæ Sedi permittere: qui sermo adeò perculit quendam adolescentem Clericum, nobilem, doctum, ac pium, ut instar Danielis insurrexerit in istos senes, qui non Su-

Ecc 2. sannam,

fanam, sed sponfam Christi charissimam summâ contumeliâ afficiebant.

Hæc sunt, Pater Sanctissime, quæ Beatitudini Vestræ significare è re Ecclesiæ esse putavi, non ad condemnationem eorum, de quibus loquutus sum (erunt enim semper in cordibus nostris ad commoriendum, & ad convivendum) sed ut eos Sanctitas Vestra, in gremio suo, tanquam filios, non equidem optimè valentes, amanter diligenterque confovendo, pristinæ sanitati restituat.

Quòd verò calamitates nostras oculis Vestris subjecerim, non alio consilio factum est, quàm ut ijs remedium à Sanctitate Vestra quæreretur. Minuuntur quidem mala, quæ tam sacris auribus excipiuntur, deliniuntur filiorum vulnera, quæ videt, & dolet tantus Parens. Verùm ingravescentis doloris magnitudo non nisi validioribus medicamentis curatur. Non precor adversarijs, quas merentur pœnas: exponam tantùm, impunitate, aut potiùs paternâ Sanctitatis Vestræ patientiâ, illos ad conterendum nos audaciores jam effectos.

At, *inquunt viri secundum carnem prudentes*, concedendum tempori, indulgendum Potestatibus, à quibus multum metuas, speres plurimum; scilicet istis artibus imperium Christi partum est? has docuit Apostolos Dominus artes? sic indulgendo, palpando, exivit in omnem terram sonus eorum? Nequaquam sanè, sed Martyrum cruore irrigata crevit Ecclesia, & persecutionum fluctibus jactata, firmius stetit. Quid verò ista indulgentia, ista aulica obsequia, ista denique sæculi, non æternitatis artes, Ecclesiæ contulerint, nec me sacræ litteræ, nec me Ecclesiastica monumenta docuerunt.

Flecto genua cordis mei, Beatissime Pater. Vestraque  
Sancti-

Sanctitatis, pacem Evangelifantis, Evangelifantis bona, speciosos pedes deosculor, iisque in spiritu affixus peto, precorque, primò quidem mihi peccatorum omnium miserimo, deinde Collegis meis, atque in Deo parentibus, Reverendo Patri d' Aubarede, Reverendo Patri Rechvinctis in Domino, postremò cateris Canonicis Regularibus, aliisque omnibus, carceres, exilia, vel qualescumque ærumnas pro causa Dei subeuntibus, Apostolicam Benedictionem, quæ à dextera, bonis tot operibus secundâ, non potest non admodum copiosa in capita nostra defluere.

Datum die 15. mensis Martij 1681.

Sanctitatis Vestræ

*Humillimus & obsequentissimus in Christo  
Servus & Filius*

Joannes Cerle, Presbyter ac Præcentor  
Ecclesiæ Cathedralis Apamiensis, nec non  
Vicarius Generalis & Officialis.

### Documentum LVI.

Alia Epistola R. P. Cerle ad Sanctissimum Pontificem INNOCENTIUM PP. XI.

Sanctissimo Domino nostro INNOCENTIO PP. XI.

SANCTISSIME PATER,

Post humillima Pedum Oscula.

Securior jam audaciórque, ad Vos, Sedémque Apostolicam, iterum, iterumque venio; nihil de mea tenuitate anxius, nec ita de Vestra Majestate sollicitus. Videor enim

E e e 3

enim